



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hermanni Hamelmanni, S. S. Theol. Licent. & dum viveret
Superint. Oldenburgici, Opera Genealogico-Historica, De
Westphalia & Saxonia Inferiori**

Hamelmann, Hermann


Lemgoviae, 1711

VD18 11397225

Vita Hermanni Hamelmanni, Theologiæ Licentiati, Lemgoviensis olim
Pastoris apud Neopolitanos, post Superintendentis Oldenburgensis. Ex
ejus scriptis potissimum collecta.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56092](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56092)



VITA
HERMANNI HAMELMANNI,
Theologiae Licentiat, Lemgovienſis olim Paſtoris
apud Neopolitanos, poſt Superintendentis
Oldenburgenſis.

Ex ejus ſcriptis potiffimum collecta.

Hermannus Hamelmannus natus Anno 1525.
Patre Eberhardo Hamelmanno in Neapoli
apud Oſnabrugenſes Canonico. In Schola cano-
nicâ literarum tyrocinia ibidem duce
Sleibingio poſuit, quem ex canonica in Se-
natoriam Oſnabrugenſium Scholam translatum, ſecu-
tus eſt, (1) Ex Academia redux Anno 1552. oppido Camen,
patriæ Celeberrimi Buxtorffii, ſolem renovati Evange-
lii attulit, pulſus inde à Mareſchallo, Theodoro Reckio,
(2) ſuſceptus eſt Anno 1553. à Capitularibus in Bilefeld,
& ſurrogatus in locum Thomæ Eltii, Paſtoris ibidem nu-
per demortui, ſocio ibidem Bileveldiæ Schnecampio Re-
ctore, pueros Pſalmis Germanicis & Catecheſi Luthera-
næ aſſuefecit. Sed inde aulicorum præpotens libido illum
pepulit, tum Lemgoviam venit, & locum Paſtoris in urbe
Neopolitanâ adeptus eſt, de meliori ipſum nota commen-
dantibus Georgio Honderlage, ibidem Phyſico, & Johan-
ne Cock, patritio & Conſule Lemgovienſe, incidunt hæc
in annum 1554. per occaſionem vero belli Rhetbergici
Cancellarius Duſfeldorpienſis, Vlatenus, eum ex Lemgo-
via

b 2

(1) Vid. Hamelm. præfatio Epitomes Chronici Oſnabrug.
(2) Vid. Hiſtoria Eccleſiaſt. renati Evangelii in Comitatu Marcano.

Vita H. Hamelmanni Theologi.

via ad tempus discedere coëgit (3) tum discesit Rostochium factus ibi Licentiatus d. 1 Julii Anno 1558. sub præsidio Doctoris Chytræi Theses de S. Eucharistia defendens (4) sed paulo post bello Rhetbergenfi composito Lemgovienteses Ao. 1558. eum revocarunt ad Ministerium Neapolis, (5) tum mirum in modum populosæ, mox etiam Comitatum Waldeccensem à scabiè interimisticâ repurgavit Anno 1567. à principe Auriaco (quem Strada Orangium vocat) ad colloquium Antwerpense evocabatur; tanta Concionatoris Lemgovientis autoritas erat. Reverfus è Brabantia (6) reformavit Brunswicensem Ducatum promotore Julio Duce, Academiae Juliae conditore, postquam 14 annos Ecclesiasten egerat Lemgovientem, factus Superintendens in locum Selnecceri, Lipsiam evocati, in Gandershemio Anno 1568. (7) paulo post, nempe Anno 1570 à Comite Oldenburgico Antonio I. vocatus ad munus Ecclesiasticum obeundum, & simul ad Reformationem Ecclesiarum Oldenburgensium promovendam, Fortissimus heros (8) Anthonii I. frater, lectis studio Lutheri, Philippi Melanchthonis & Urbani libris & Oldenburgi constitutis primis Ministris Ecclesiæ Ummio Ulrico & Matthia Alardo jam tum Anno 1527. & 1528. ceperat Ecclesias Oldenburgenses à Papatu reformare.

Antonius I. defuncto 1566. 4 Augusti fratre Christophero (9) reformationem continuare studuit, eam ob
cau-

(3) Historia Ecclesiast. renati Evangelii in Comitatu Ravensbergico, item in Comitatu Lippia. Tom. I. Annalium Paderbornens. p. 456.

(4) Vid. Chytræum p. 635. Hornbec. p. 652.

(5) Histor. renati Evangelii in Comitatu Lippia.

(6) Vide Saxon. Chron. German. p. 333.

(7) Vide Winckelmann. pag. 519. & pag. 140. Strateman in Theat. Historic. pag. 1084. Bellarmin. lib. IV. de V. D. Stangelsol. Annal. Westfal. IV. pag. 63.

(8) Chronic. Oldenb. Hamelm. pag. 329.

(9) Chronic. Oldenb. p. 360. & 390.

causam suam Consilium Tilingium, à Civitate Mindensi triennio ante obitum, petiit, ut sibi M. Herm. Huddæum ad officium Superintendentis obeundū perpetuo, aut ad tempus ad Reformandas Ecclesias concederent, at repulsam tulit, hinc etiam reformatio non ex voto successit: Fovit tamen & Ministros Evangelicos Ecclesiæ M. Ulricum Hezenum, Stadlandium, Hermannum Chremetem [qui etiam S. Synaxin ægroto porrexit, & funeri parentavit] & interim, licet Carolus V. per literas petierat, introducere, multo minus subscribere voluit.

Demortuo Anth. I. 1573. mense Januar. hujus filii Joh. XVI. & Anthonius II. (10) in specie verò Joh. XVI. majori studio reformationem urserunt, utque res eò feliciter succederet Joh. XVI. D. Nicolaum Selneckerum, Theologum Lipsiensem, ad se evocavit (11) ut una cum Hamelmanno Reformationis opus ad finem perduceret, & Christianam ordinationem Ecclesiasticam ambo conscriberent, quæ Anno 1573. d. 13 Julii perfecta & Jenæ eodem anno Typis excusa simul & eodem tempore in omnibus Templis (12) Comitatus Oldenburgensis & Delmenhorst. publicata communique consensu comprobata fuit.

Eodem 1573. anno d. 13 Julii Hamelmannus à Comite Joh. XVI. dignitate Superintendentis ornatur (13) Collegasq; in Consistorio nanciscitur Dn. Joh. von Hallen, Cancellarium, M. Hermannum Tilingium, Consiliarium, Hermannum Burinum, pastorem Strukhusanum & M. Ulri-

(10) Amborum Comitum Mandatum Agendæ Oldenburgicæ præfixum & Anno 1573. d. 13 Julii publicatum.

(11) Chronic. Oldenb. p. 414.

(12) Delmenhorsti hanc ordinationem receptam esse ex mandato colligitur nomine amborum Comitum Joh. XVI. Comitum Oldenburgici & Comitum Delmenhorst. Anthonii II. publicato & ordinationi præfixo.

(13) Vid. Chronic. Oldenb. pag. 414.

Ulricum Meinardum, pastorem Blexensem. Anno 1574. & sequentibus Hamelmannus noster strenuè reformavit Comitatum Oldenburgensem & Delmenhorstanum, eo quod multi abusus tam in doctrinâ, quam in moribus ibidem invaluerant. (14) Ao. 1576. Hamelmanno, unacum Satrapa Jeverano Burchardo de Steinbergen, multisque aliis Consiliariis inungitur, ut convocatis Ministris Ecclesiæ ditionis Jeveranæ, proponerent an Ordinationi Ecclesiasticæ Oldenburgensi in Comitatu Oldenburgensi jam receptæ, subscriptione assentiri vellent, si verò non, dubia circa doctrinalia & moralia proponerent & horū placidam solutionem à Licentiato Hamelmanno expectarent; pleriq; veritate rei convicti & solutione dubiorum contenti, subscripserunt, (15) duo vero Conradus Quantius, Pastor Wardwardensis & Johannes Meppellensis, Vicarius Sillenstedensis, Reformatæ Religioni addicti, constanti animo se opposuerunt; (16) his terminus quatuor septimanarum ad mutandam mentem constituitur, præterlapso hoc tempore Hamelm. Jeveram proficiscitur, cui illi dubia fusius consignata, quare subscribere non possent, tradunt, denuo illis dies, nempe 4 Aprilis ad proponenda dubia præfigitur in Consistorio, præsentibus fuerunt ex politicis Theodorus Eiben & Stadius Reincking, Consilarii Jeverenses, ex Theologis Hermannus Accumensis, M. Ulricus Ziadonius, Elardus Roverus [qui etiam formulæ Concordiæ (17) subscripserunt, Isebrandus Middochius & Gerhardus Howichius; Dubia Quantii & Meppellensis circa hanc rem Hamelmannus ex Scriptura Sacrà & do-

(14) Vid. Histor. renati Evangelii in antiquissimo Comitatu Oldenburgensi.

(15) Chron. Oldenb. p. 423.

(16) Micrælius Hist. Eccles. Syntagma in Catalogo Colloquiorum & Synod. Theol. in Secul. Lutherano num. 48. p. 479.

(17) Form. Concord. K. K. 6. edit. Lips. in 4to 1580.

Vita H. Hamelmanni Theologi.

toribus Ecclesiasticis ita solvit, ut non haberent quod regerent, ordinationi Ecclesiasticæ tamen subscribere noluerunt, eamque ob causam, uti petierant, dimissi, ne schisma oriretur, hoc colloquium brevi post latine typis evulgatum est: (18) Micrælius scribit (19) hoc colloquium anno 1577. habitum esse, ad falsò, forsan anno colloquii impressi, seductus.

Cum Ao. 1580. formulæ Concordiæ plerique Theologi Lutherani subscriberent & hic Hamelmannus una cum non nullis Politicis & Theologis ex Comitatu Oldenburgensi, Delmenhorstano & Jeverano nomen suum addidit, hoc ordine in Formula Concordiæ leguntur: (20) H. Hamelmannus L. S. Johan von Halle, Cancellarius, Hermannus Tilingius, Consiliarius, Ulricus Meinardus, Consistorialis Blexensis [alter Consistorialis, Hermanus Burinus, pastor Struckhusanus jam Anno 1576. obierat] Henricus Chremes, Gerhardus Sagittarius & Gerhardus Hannekenius &c. Circa illud tempus à Comite Johanne XVI. Mandatum conscribendi Chronicon Oldenburgense accepit, qui etiam illi varia antiquitatum, documentorum, sigillorum & literarum genera ut & libros necessarios suppeditavit & in archivis aditum liberum concessit (21) hoc opus ad annum emortualem 1595. perduxit & 25 Aprilis dicti Anni, Comitibus Oldenburgicis manuscriptum obtulit, (22) quod demum Anno 1599. continuante Hermanno Neuwaldo, Medicinæ Doctore, im-

(18) Chron. Oldenb. p. 423.

(19) Synt. H. Eccl. in Catal. Doctorum in Secul. Lutherano. p. 377

(20) Formula Concord. circa finem sub tit. Comit. Oldenb. & Delmenhorst. notandum hic nomen Jeveranæ ditionis omissum.

(21) Vide dedicat. Chron. Oldenb.

(22) Zeileus in Historicis celebribus. p. 71. parte. 1. & 104. part. 2.

impressum est, (23) præter omnium autem expectationem propter hoc Chronicon Oldenburgicum Ubbonem Emmium, Frisium Orientalem Grethanum, adversarium gravissimum (24) expertus est, ad componendum autem horum litem Comes Johannes XVI. unum ex Consiliariis ad Emmium, Groningæ Rectorem, misit. Emmii litteræ hac in causa scriptæ, adhuc Oldenburgi in Archivis asservantur. Adversus autem virulentas Emmii calumnias, pro Hermanno Hamelmanno jussu Johannis, Comitis Oldenburgici, Apologiam edidit Gebhardus Gifkenius, gener ipsius Anno 1600. Lemgovix impressam, (25) cui Johannes Hamelmannus, Hermanni Filius, carmen non inelegans addidit.

Vixit feliciter in Matrimonio, prima ejus uxor fuit Elisabetha Velstenia, pastoris in Leuenstein, Henrici Velstenii, soror, ex qua suscepit filium in juventute postea mortuum, triennio post secundam uxorem duxit Claram Perottiam, Lemgovianam, cujus frater Elias Perotte, Professor Juris Rostochii, & Johannes Perotti, pastor Cappellensis, in Comitatu Lippiensi, fuit (26) illa tamen, in medio ætatis flore, Anno 1589. in die Martini, diem obiit supremum, relictis quatuor parvulis liberis, Maria, Elisabetha, Johanne & Gertruda. (27) hujus Epitaphium in Templo Majori Oldenburgensi hac Inscriptione ornatum est:

EPI.

(23) Vide Chron. Oldenb. pag. 493. & seq.

(24) Vide Rerum Frisicarum Historiam Lugd. Batav. editam à Raphelingio.

(25) Hertzius in Bibliotheca Germanica, titulo Oldenburgensis & Delmenhorstani Comitatus.

(26) Vide præfat. libelli an Sancti se mutuo in oculis agnoscant, impressum Lemgovix 1590.

(27) Prototenia familia adhuc Lemgovix superstes.